



Miscell. B *PSJ*

CAROLUS REYMOND, DOCTOR DECURIALIS CLINICAE OCULARIAE
TRADENDAE IN R. ATHENAEO TAURINENSI, CANCELLARIO, CURIAE,
SENATUI UNIVERSITATIS GLASGUENSIS S. P. D.

Quod Vos, viri clarissimi, me hisce feriis saecularibus interesse
voluistis, quibus tam magno doctorum hominum conventu Universi-
tatis Glasguensis natalem sollemniter celebratis, id mihi et summo
honori est et esse debet. Vestrae igitur erga me indulgentiae ma-
ximas gratias ago, praesertim cum non me solum verum etiam Uni-
versitatem Taurinensem mirifica et prope singulari benevolentia
observantiaque prosecuti sitis. Mihi autem et iucundum est et glo-
riosum, in hac eruditissimorum virorum celebritate, vicem quoque col-
legarum Taurinensium sustinere eorumque verbis fausta omnia for-
tunataque Academiae Glasguensi optare. Quae quidem cum iam
quadringentos quinquaginta annos expleverit, idcirco artioribus vin-
culis cum Taurinensi coniuncta esse videtur, quod hanc eodem
saeculo exstitisse constat. Atque illud etiam animadvertendum est,
his duabus Universitatibus similem fuisse nascendi rationem. Quem-
admodum enim haec vestra pontificiis litteris Nicolai V, auspice
Iacobo II Rege, constituta est, sic pontificio Benedicti XIII diplo-
mate Athenaei Taurinensis iacta sunt fundamenta anno MCCCCIV,
illorum Principum Allobrogum auspiciis, quorum domus etiam nunc
in renata Italia gloriosissime regnat. Itaque ad gaudia, ut ad me
scripsistis, caerimoniasque vestras humanissime vocatus benigneque
hospitio acceptus, cum tot exterarum gentium legatis, quorum in
numerus me quoque adscribere voluistis, laeto animo magnaue
voce conclamo: Io! feliciter vivat Universitas Glasguensis! — Valete.

D. pridie Id. Iun. an. MDCCCCI Glasguae.

5424

Script Hektor Stampini